

**Alexander Baumgarten, „Psychologia empirica“ (§§ 504-623)
aus der „Metaphysica“**

Mit kritischem Apparat
herausgegeben von Tanehisa Otabe

Baumgartens „Metaphysica“ (1. Auflage 1739), vor allem deren Abschnitt „Psychologia empirica“, bietet einen Schlüssel zum Verständnis der Entstehung seiner Konzeption der Ästhetik. Bis heute wurden jedoch die Unterschiede zwischen den Auflagen kaum beachtet. Die historisch-kritische Ausgabe der „Metaphysica“, die 2011 in der Reihe FMDA (Forschungen und Materialien zur deutschen Aufklärung, herausgegeben von Günter Gawlick und Lothar Kreimendahl) erschien, basiert auf der 4. Auflage (1757) und erörtert die Änderungen zwischen den Auflagen nicht genügend.

Von Baumgartens „Metaphysica“ erschienen im 18. Jh. sieben Auflagen, von denen die 4. Auflage die Ausgabe letzter Hand ist.

[Editio I.] Halae Magdeburgivae 1739 (A)

Editio II. Halae Magdeburgivae 1743 (B)

Editio III. Halae Magdeburgivae 1750 (C)

Editio IV. Halae Magdeburgivae 1757 (D)

Im Folgenden wird von den §§ 504-623, welche die unteren Erkenntnisvermögen behandeln, und auch von §§ 658, 659, 662 und 669, die für das Verständnis der Ästhetik von Belang sind, eine neue Ausgabe eingerichtet, die, auf der 1. Auflage basierend, alle inhaltlich relevanten Varianten dokumentiert, damit man Baumgartens Denkprozess nachvollziehen kann. In der 2. Auflage griff Baumgarten am meisten in den Text ein, aber auch in der 3. Auflage nahm er mehrere Änderungen vor. Die 4. Auflage ist – abgesehen davon, dass den zentralen lateinischen Termini deutsche Übersetzungen beigefügt wurden – mit der 3. Auflage fast identisch. Zwischen den beiden Auflagen findet sich innerhalb der §§ 504-623 nur eine – jedoch inhaltlich relevante – Änderung (siehe § 533).

Von dem, was sich aus dem kritischen Apparat ersehen lässt, möchte ich hier nur auf Folgendes hinweisen:

Erstens zeigt der kritische Apparat zu § 533 deutlich, dass die Definition der Ästhetik sehr unterschiedlich ist, was wohl darauf zurückgeht, dass Baumgarten die Ästhetik einerseits in Zusammenhang mit der traditionellen Rhetorik und Poetik konzipiert (siehe die 1. Auflage), andererseits mit der Logik zusammen als ein Organon für Philosophie betrachtet (siehe die 2. und 3. Auflage).

Zweitens sind in der 1. Auflage die §§ 504-623 in drei Sektionen (Sectio III: sensus, Sectio IV: phantasia, Sectio V: praevisio) gegliedert, während sie ab der 2. Auflage in neun Sektionen (Sectio III: sensus, Sectio IV: phantasia, Sectio V: perspicacia, Sectio VI: memoria, Sectio VII: facultas fingendi, Sectio VIII: praevisio, Sectio IX: iudicium, Sectio X: praesagatio, Sectio XI: facultas characteristicum) eingeteilt werden. Dass die Gliederung der unteren Erkenntnisvermögen in der 2. Auflage präzisiert wurde, hängt wohl damit zusammen, dass Baumgarten in der 2. Auflage die Ästhetik nicht mehr auf Rhetorik und Poetik bezog, sondern als die „Logik der unteren Erkenntnis-

vermögen“ definierte.

Drittens wird ab der 2. Auflage den einzelnen unteren Erkenntnisvermögen ihre eigene Ästhetik zugeschrieben. Während das Wort „aesthetica“ in der 1. Auflage innerhalb der §§ 504-623 nur zweimal (§ 533 und § 587) erscheint, verwendet Baumgarten dieses Wort ab der 2. Auflage in zehn Paragraphen (siehe §§ 533, 544, 570, 575, 587, 592, 604, 607, 610 und 622), was ebenfalls wohl darin begründet ist, dass er in der 2. Auflage die Ästhetik ausdrücklich als die „Logik der unteren Erkenntnisvermögen“ bestimmt.

Bei der Einrichtung des lateinischen Textes wurde im Einzelnen wie folgt verfahren: Das für das u stehende v und das für das v stehende u, wie z. B. in „Iudicivm“ und „vis repraesentatiua“, wurden durch u und v ersetzt. Ebenso wurde „quum“ in „cum“ geändert. Baumgartens gelegentlich uneinheitliche Schreibweise ein und desselben Wortes wurde vereinheitlicht. Baumgartens Verdeutschungen der lateinischen Termini in der 4. Auflage wurden nicht berücksichtigt.

SECTIO I.

EXSISTENTIA ANIMAE.

§. 504.

Si quid in ente est, quod sibi alicuius potest esse conscium, illud est ANIMA. In me existit §. 55. quod sibi alicuius potest esse conscium §. 57. Ergo in me existit anima. (ergo anima existo)

§. 505.

Cogito, mutatur anima mea §. 125, 504. Ergo cogitationes sunt accidentiae animae meae §. 210. quarum aliqua saltim rationem sufficientem habent in anima mea §. 21. Ergo anima mea est vis §. 197.

§. 506.

Cogitationes sunt repraesentationes. Ergo anima mea est vis repraesentativa §. 505.

§. 507.

Cogitat anima mea saltim quasdam partes huius universi §. 354. Ergo anima mea est vis repraesentativa huius universi, saltim partialiter §. 155.

§. 508.

Cogito quaedam corpora huius universi, eorumque mutationes, huius pauciores, illius plures, unius plurimas, et ultimum quidem pars mei est §. 155, hinc corpus meum est, cuius mutationes plures cogito, quam ullius alius corporis.

§. 509.

Corpus meum habet determinatum in hoc mundo positum §. 85. locum, aetatem §. 281, situm §. 284.

§. 510.

Quaedam distincte, quaedam confuse cogito. Confuse quid¹ cogitans, eius notas non distinguit, repraesentat tamen seu percipit. Nam si notas confuse repraesentati distingueret, quae confuse repraesentat, distincte cogitaret: Si prorsus non perciperet notas confuse cogitati, per eas confuse perceptum non distinguere valeret ab aliis. Ergo confuse quid cogitans, quaedam obscure repraesentat.

¹ quid] B, C, D: aliquid

§. 511.

Sunt in anima perceptiones obscurae §. 510. Harum complexus FUNDUS ANIMAE dicitur.

§. 512.

Ex positu corporis mei in hoc universo cognosci potest, cur haec obscurius, illa clarius, alia distinctius percipiam §. 306. 509. i. e. repraesento pro positu corporis¹ mei in hoc universo.

¹ repraesento pro positu corporis] B, C, D: REPRAESENTO PRO POSITU CORPORIS

§. 513.

Anima mea est vis §. 505. repraesentativa §. 506, universi §. 507. pro positu corporis sui §. 512.

§. 514.

Complexus¹ repraesentationum in anima cuius instanti simultaneorum² PERCEPTIO TOTALIS est, eiusque partes PERCEPTIONES PARTIALES, et harum quidem obscurarum complexus CAMPUS OBSCURITATIS, (tenebrarum) qui est fundus animae §. 511. complexus clararum, CAMPUS CLARITATIS (lucis) est, comprehendens CAMPOS CONFUSIONIS, DISTINCTIONIS, ADAEQUATIONIS e. c.

¹ Complexus] B, C, D: Totum

² anima cuius instanti simultaneorum] B, C, D: anima

§. 515.

Repraesentationes¹ in anima mea sunt vel minores vel maiores §. 214. Illae DEBILIORES, hae FORTIORES dicuntur. Debiliores² ortae statum animae minus, fortiores magis mutant. §. 208. 214.

¹ Repraesentationes] B ff.: Cognitio vera est realitas §. 12, 36. cuius oppositum cognitio nulla s. defectus cognitionis, IGNORATIA, et cognitio apparens s. ERROR sunt negationes §. 81, 36. *Cognitio minima est unici minimi minime vera.* §. 161. *Ergo quo plurima^{1a}, quo maiorum, quo verior est, hoc maior est* §. 160, *donec sit maxima plurimorum maximorum verissima.* Gradus COGNITIONIS, quo plura cognoscit, est eius VASTITAS (extensio)^{1b}, quo pauciora, ANGUSTIA, quo maiora, est DIGNITAS (nobilitas, magnitudo, gravitas, maiestas), quo minora VILITAS (exilitas, levitas). Quo veriora quo maiori ordine coniungit cognitio, hoc verior, §. 184. hinc maior est. COGNITIO veriora sistens EXACTA (exasciata) est, minus vera exhibens, CRASSA. Maior in cognitione ordo s. METHODUS est COGNITIONIS METHODICUM (acroamaticum, disciplinale), minor TUMULTUARIUM. Cognitio eiusque repraesentationes

^{1a} plurima] C, D: plurium

^{1b} VASTITAS (extensio)] C, D: UBERTAS (copia, extensio, divitiae, vastitas)

² Debiliores] B ff.: iisque, qua rationes sunt, vis et efficacia tribuitur §. 197. Nulla cognitio est totaliter sterilis, §. 23. cognitio tamen maioris efficaciae, s. ROBORIS, est FORTIOR, minoris, quae IMBECILLITAS, DEBILIOR (imbellis^{2a}). Repraesentationes debiliores

^{2a} imbellis] C, D: imbellis, iners

§. 516.

PERCEPTIONES partiali coexistentes, seu¹ partes eiusdem totalis SOCIAE vocantur, sociarum perceptionum fortissima REGNAT seu dominatur in anima².

¹ partiali coexistentes, seu] B, C, D: cum partiali aliqua

² seu dominatur in anima] B, C, D: (dominatur in anima)

§. 517.

Quo plures notas perceptio complectitur, hoc est fortior §. 214¹. 515. Hinc obscura perceptio plures notas comprehendens, quam clara, est eadem fortior, confusa plures notas comprehendens, quam distincta, est eadem fortior. PERCEPTIONES plures in se continentes PRAEGNANTES vocantur. Ergo perceptiones praegnantis fortiores sunt. Hinc ideae habent magnum robur §. 148.²

¹ §. 214] B, C, D: §. 23

² §. 148.] B, C, D: §. 148. Termini significatus praegnantis sunt EMPHATICI (emphases).

Horum scientia EMPHASEOLOGIA est. Nominum priorum non parva vis est.

§. 518.

Status animae, in quo perceptiones dominantes obscurae sunt, est REGNUM TENEBRARUM, in quo clarae regnant, REGNUM LUCIS est.

SECTIO II.

FACULTAS COGNOSCITIVA INFERIOR:

§. 519.

Anima mea cognoscit quaedam §. 506. Ergo habet FACULTATEM COGNOSCITIVAM i. e. quaedam cognoscendi §. 57, 216.¹

¹ 216.] B, C, D: 216. (intellectum latius dictum cf. §. 402.)

§. 520.

Anima mea quaedam cognoscit obscure, quaedam confuse cognoscit §. 510.¹ FACULTAS obscure confuseque seu indistincte aliquid cognoscendi COGNOSCITIVA INFERIOR est. Ergo anima mea habet facultatem cognoscitivam inferiorem §. 57. 216.

¹ §. 510.] B, C, D: §. 510. iam, caeteris paribus, percipiens rem, eamque diversam ab aliis, plus percipit, quam percipiens rem, sed non distinguens §. 67. Ergo, caeteris paribus cognitio clara maior est, quam obscura, §. 515. Hinc obscuritas minor, claritas maior cognitionis gradus est, §. 160, 246. et eandem ob rationem confusio minor s. inferior, distinctio maior s. superior. Unde

§. 521.

REPRÆSENTATIO non distincta SENSITIVA vocatur. Ergo vis animæ meæ repræsentat per facultatem inferiorem perceptiones sensitivas §. 520. 513.

§. 522.

Repraesento mihi quaedam ita, ut aliqui eorum characteres clari sint, aliqui obscuri. Eiusmodi perceptio, qua notas claras distincta est, qua obscuras sensitiva §. 821.¹ Hinc est distincta, cui aliquid admixtum est confusionis et obscuritatis, et sensitiva, cui aliquid distinctionis inest. Haec ex parte sequiori formatur per facultatem cognoscitivam inferiorem §. 520.

¹ §. 821.] B, C, D: §. 521.

§. 523.

Notæ repræsentationis sunt vel mediatae, vel immediatae §. 67, 27. Hæ tantum respiciuntur in diiudicatione claritatis in aliqua perceptione.

§. 524.

Notæ perceptionis sunt vel sufficientes vel insufficientes §. 21, 67. Vel absolute necessariae, §. 106, 107. vel in se contingentes §. 108. vel absolute immutabiles et constantes §. 132, vel in se variabiles seu mutabiles §. 133, quarum priores notæ nonnunquam per eminentiam dicuntur solæ.

§. 525.

Notæ repræsentationis sunt vel negativæ, vel reales, §. 135. Quæ priores habet PERCEPTIO NEGATIVA, quæ posteriores, PERCEPTIO POSITIVA vocatur. PERCEPTIONES NEGATIVÆ vel essent TOTALITER tales, quarum singulæ notæ negativæ essent, quibus nihil perciperetur §. 136, vel PARTIALITER tales sunt, quarum aliquæ notæ negativæ sunt, vel¹ vere, vel² apparenter §. 12.

¹ vel] C, D: aut

² vel] C, D: aut

§. 526.

Notarum aliæ aliis foecundiores sunt et graviores §. 166, utrumque sufficientes insufficientibus §. 169, 524.

§. 527.

FACILE est, ad quod actuandum paucae vires necessariae sunt, ad quod maiores requiruntur vires, est DIFFICILE. Hinc FACILE CERTO SUBIECTO est, ad quod actuandum exigua pars virium, quibus illud pollet, necessaria est: CERTO SUBIECTO DIFFICILE, ad quod actuandum magna pars virium, quibus substantia ista pollet, requiritur. Ergo facilitas et difficultas admittunt gradus §. 246.

§. 528.

Minime clara est perceptio, cuius notæ tantum sufficiunt, ad eandem ab unico diversissimo diffi-

cillime distinguendam. §. 161. A quo pluribus ergo, a quo magis iisdem, quo facilius perceptionem distinguere valeo, hoc est¹ clarior, §. 160. donec sit clarissima, quam ab omnibus, etiam maxime iisdem facillime valeo distinguere §. 161. Minime obscura est repraesentatio, cuius notae ad eam ab unico tantum maxime eodem facillime distinguendam non sufficiunt §. 161. A quo pluribus ergo, a quo magis diversis, quo maiori vi adhibita, perceptio tamen non potest distingui, hoc maior est eius obscuritas: donec sit obscurissima, quae a nullis, etiam maxime diversis, omni vi mea adhibita distingui potest §. 161.

¹ est] B, C, D: est mihi

Minime ... potest] B: kursiv

§. 529.

Quod aliis clarius percipio ATTENDO, quod aliis obscurius, ABSTRAHO ABEO. Ergo habeo facultatem attendendi et abstrahendi §. 216, sed finitas §. 354, hinc in certo tantum non maximo gradu utrasque §. 248. Quo plus quantitati finitae dematur, hoc minus est residuum. Ergo quo magis attendo uni rei, hoc minus possum attendere aliis: Ergo sensatio¹ fortiori attentionem admodum occupans obscurat debiliorem, seu facit a debiliore abstrahere §. 528, 518.

¹ sensatio] A (Errata), B, C, D: perceptio

§. 530.

PERCEPTIO praeter notas, quas maxime in eius notis attendo, alias etiam minus claras continens est COMPLEXA. COGITATIONIS COMPLEXAE notarum ille complexus, quem in notis maxime attendo, PERCEPTIO PRIMARIA; complexus notarum minus clararum PERCEPTIO (secundaria) ADHAERENS dicitur. Hinc perceptio complexa est totum perceptionis primariae et adhaerentis §. 155.

§. 531.

Pone duas cogitationes claras trium notarum, sed sint in una clarae, quae in altera obscurae sunt, prior erit clarior §. 528. Ergo claritas perceptionis augetur claritate notarum per distinctionem, adaequationem e. c. Pone duas cogitationes claras notarum aequaliter clararum, quarum tres sint in una, sex sint in altera; posterior erit clarior §. 528. Ergo multitudine notarum augetur claritas §. 162. CLARITAS claritate notarum maior, INTENSIVE, multitudine notarum, EXTENSIVE MAIOR dici potest. Extensive clarior PERCEPTIO est VIVIDA.¹

¹ VIVIDA.] B ff.: VIVIDA. Vividitas COGITATIONUM et ORATIONIS NITOR (splendor) est, cuius oppositum est SICCITAS (spinosum cogitandi dicendique genus). Utraque claritas est PERSPICUITAS. Hinc perspicuitas vel est vivida, vel intellectualis, vel utraque. PERCEPTIO, cuius vis se exserit in veritate alterius perceptionis cognoscenda, et VIS EIUS, est PROBANS, cuius vis alteram claram reddit, et VIS EIUS, est EXPLICANS (declarans), cuius vis alteram vividam reddit, et VIS EIUS, est ILLUSTRANS (pingens), quae alteram distinctam, et VIS EIUS, est RESOLVENS (evolvens). Conscientia veritatis est CERTITUDO (subiective spectata cf. §. 93.)^{1a} Cogitans rem et veritatem eius, caeteris paribus plura cogitat, quam cogitans rem tantum. Hinc COGITATIO et COGNITIO certa caeteris paribus, maior est INCERTA, quae non

est certa, §. 515.^{1b} Quo clarior, quo vividior, quo distinctior, quo certior cognitio est, hoc maior est. PERCEPTIO certitudinem alterius habens pro corollario, et VIS EIUS, est CONVINCENS.^{1c} Certa perspicuitas est EVIDENTIA.

^{1a} 93.)] C, D: Certitudo sensitiva est PERSUASIO, intellectualis CONVICTIO.

^{1b} §. 515.] C, D: COGNITIO iusto incertior est SUPERFICIARIA, adeo certa, ac requiritur, est SOLIDA.

^{1c} CONVINCENS.] C, D: vel PERSUASORIA, vel CONVINCENS.

§. 532.

Tam intensive, quam extensive clarior possunt esse sensitivae §. 522, 531, et tunc vividior est perfectior, quam minus vivida §. 531. 185. Potest vividior intensive clariore ipsaque distincta perceptione fortior esse §. 517, 531.

§. 533.

Scientia sensitive cognoscendi et proponendi est AESTHETICA, meditationis et orationis sensitivae vel minorem intendens perfectionem, RHETORICA, vel maiorem POETICA UNIVERSALIS.¹

¹ AESTHETICA, meditationis et orationis sensitivae vel minorem intendens perfectionem, RHETORICA, vel maiorem POETICA UNIVERSALIS.] B ff.: AESTHETICA (logica facultatis cognoscitivae inferioris.^{1a})

^{1a} inferioris.] D: inferioris, philosophia gratiarum et musarum, gnoseologia inferior, ars pulcre cogtandi, ars analogi rationis.

SECTIO III.

SENSUS.

§. 534.

Cogito statum meum praesentem. Ergo repraesento statum meum praesentem i. e. SENTIO. Repraesentationes status mei praesentis seu SENSATIONES¹ sunt repraesentationes status mundi praesentis §. 369. Ergo sensatio mea actuatur per vim animae repraesentativam pro positu corporis mei §. 513.

¹ SENSATIONES] B, C, D: SENSATIONES (apparitiones)

§. 535.

Habeo facultatem sentiendi §. 534, 216. i. e. SENSUM. SENSUS repraesentat vel statum animae meae, INTERNUS, vel statum corporis mei, EXTERNUS §. 508. Hinc SENSATIO est vel INTERNA per sensum internum (conscientia sensu strictiori¹), vel EXTERNA sensu externo actuata §. 534.

¹ sensu strictiori] B, C, D: strictius dicta

§. 536.

Partes corporis, quorum convenienti motui sensatio externa coexistit sunt AESTHETERIA (organa sensuum). Per ea habeo facultatem sentiendi 1) quodvis corpus contingens meum, TACTUM 2)

lucem, VISUM 3) sonum, AUDITUM 4) effluvia corporum in nasum adscendentia, OLFACTUM 5) resoluta per internas oris partes salia, GUSTUM.

§. 537.

Quo magis movetur convenienter organon sensuum, hoc fortior, hoc clarior est sensatio, quo minus, hoc debilior, hoc obscurior est sensatio externa §. 513, 512.¹

¹ 512.] B, C, D: 512. Locus, in quo constituta tam convenienter adhuc movere organon sensus possunt, ut clare sentiantur, est SPHAERA SENSATIONIS. In sphaera sensationis locus convenientissimus PUNCTUM SENSATIONIS est.

§. 538.

Quo minora, quo remotiora¹ sunt sentienda, hoc obscurior, hoc debilior est ipsorum sensatio, quae hoc est fortior, hoc clarior, quo propiora² sunt, quo maiora sentienda §. 537, 288.

¹ remotiora] B, C, D: remotiora a puncto sensationis

² propiora] B, C, D: propiora puncto sensationis

§. 539.

Sensus minimus esset, qui unicum maximum proxime convenientissimeque praesens obscurissime¹ repraesentaret §. 538.² Hinc quo plura, quo minora, quo remotiora, quo minus convenienter moventia organon, quo clarius³ repraesentat, hoc maior est. §. 219, 535.

¹ obscurissime] C, D: in minimo gradu veritatis, lucis et certitudinis

² §. 538.] C, D: §. 531, 538.

³ quo clarius] C, D: quo verius, clarius, certius

Sensus ... est] B: kursiv

§. 540.

SENSUS maior ACUTUS, minor HEBES dicitur. Quo aptiora ad motum convenientem organa sensuum aut sunt, aut redduntur, hoc aut est acutior, aut magis acuitur sensus externus. Quo ineptiora aut sunt, aut redduntur organa sensoria, hoc hebetior aut est, aut magis hebescit sensus externus §. 537.¹

¹ §. 537.] B, C, D: §. 537. 539

§. 541.

Lex sensationis est: *Ut sibi succedunt status mundi et status mei, sic sequantur se invicem repraesentationes eorum praesentium* §. 534. Hinc regula sensationis internae: *Ut sibi succedunt status animae meae, sic se sequantur invicem repraesentationes eorundem praesentium*, et regula sensationis externae: *Ut sibi succedunt status corporis mei: sic se sequantur invicem repraesentationes eorundem praesentium*.

§. 542.

Sensationum magnum prae aliis singulis perceptionibus robur est §. 512, 517. Hinc sensationes alias

singulas obscurant §. 529. Possunt tamen aliae plures simul sumtae fortiores fieri una vel altera, praesertim debiliore sensatione, eamque vicissim obscurare, multo magis una sensatio potest obscurari per alteram fortiozem, aut plures alias singulas debiliores, simul sumtas tamen fortiores §. 529, 517.

§. 543.

Impeditur¹ sensatio externa 1) organon sensorium impediendo, ne modo convenienti moveatur 2) saltim praestando, ut minus moveatur, §. 537. 3) sensibile removendo 4) imminuendo 5) prorsus impediendo, ne praesens fiat, 6) sensationem fortiozem excitando 7) per plures sensationes aut 8) plures perceptiones alias ita dispertiendo attentionem, ut singulae licet debiliores, tamen simul sumtae obscurent sensationem impediendam §. 542, 221.

¹ Impeditur.] C, D: Facilior fit sensatio externa 1) organi bene praeparati, §. 536. 2) sphaere sensationis, immo, 3) quantum fieri potest, puncto, §. 537. 4) corpus ad excitandum modo convenienti motum in organo aptius et qualitate, 536, et 5) quantitate, §. 538, si admoveatur, 6) non sensationes solum fortiores heterogeneae, sed et 7) debiliores non nihil quidem singulae, at plures, immo 8) perceptiones etiam aliae admodum heterogeneae si impediuntur, §. 542. Impeditur

§. 544.

Cum sensus singularia huius mundi, hinc omnimode determinata, repraesentent §. 535, 148. ut talia, hinc in universali nexu §. 357, nexus autem, praesertim relativi repraesentari nequeant sine connexorum utroque §. 14, 37. in omni sensatione connexa cum sensu s. eo, quod sentitur, singula repraesentantur, at non clare, hinc obscure maximam partem plerumque. Ergo in omni sensatione est aliquid obscuri, hinc in sensatione etiam distincta semper aliquid admixtum est confusionis. Unde omnis sensatio est sensitiva perceptio formanda per facultatem cognoscitivam inferiorem §. 522.¹

¹ §. 522.] B, C, D: §. 522. Cumque EXPERIENTIA sit cognitio sensu clara, AESTHETICA comparandae et proponendae experientiae est EMPIRICA.

§. 545.

FALLACIAE SENSUUM sunt repraesentationes falsae a sensibus dependentes, eaeque vel sensationes ipsae, vel ratiocinia, quorum praemissa est sensatio, vel perceptiones pro sensationibus per vitium subreptionis habitae §. 30. 35.

§. 546.

Sensationes ipsae cum repraesentent statum corporis, vel animae, vel utriusque praesentem §. 535. tam internae, quam externae percipiunt actualia §. 205, 298. hinc et possibilia §. 57. et quidem huius mundi §. 377, sunt ergo verissimae¹ §. 184, nec ulla earum est fallacia sensuum §. 545. Quodsi ergo fallacia sensuum sit ratiocinium, vitium eius aut latet in forma, aut in altera praemissa: si sit alius generis perceptio per vitium subreptionis pro sensatione habita, duplex error est per praecipitantiam iudicantis ortus, facile tamen reducendus ad casum secundum §. 545.

¹ verissimae] B, C, D: verissimae totius mundi,

§. 547.

PRAESTIGIAE sunt artificia fallendorum sensuum, si oriuntur ex iis fallaciae sensuum sunt EFFICACES, si minus, sunt INEFFICACES. Quo quius ergo pluribus praeiudiciis cum sensationibus terminum communem habentibus laborat, quo minus sibi cavet a vitio subreptionis: hoc plures apud ipsum praestigiae possunt esse efficaces §. 545. Apud liberum a praeiudiciis et vitiis subreptionis omnibus omnes praestigiae inefficaces forent. §. 546.

§. 548.

Propositiones: *Quicquid non EXPERIOR seu clare sentio,¹ non existit,² aut: est impossibile: Quicquid repraesentationi alteri (partialiter) idem est, est ipsa illa perceptio: Quae coexistunt, vel succedunt sibi invicem, eorum unum in alterum realiter influit,³ sunt aptae fallaciis sensuum propositiones maiores §. 546, hinc et praestigiis efficacibus §. 547.*

¹ *sentio,*] B, C, D: *sentio,* §. 544,

² *existit,*] B, C, D: *existit,* s. PRAEIUDICIUM THOMISTICUM,

³ *influit,*] B, C, D: *influit,* s. *sophisma: post hoc, ergo propter hoc,*

§. 549.

Quam ob causam debiliorem obscurat fortior perceptio diversa §. 529, ob eandem debiliores diversae fortiolem illustrant.¹ Hinc debiliori alicuius obiecti perceptioni succedens clara fortior diversa, eo ipso, quod nova est, in campo clararum perceptionum, magis apperipitur. §. 529. Ergo clara perceptio fortior succedens diversae debiliori per ipsam novitatem illustratur §. 548, 534.²

¹ *illustrant.*] B, C, D: *illustrant,* §. 531.

² *548, 534.*] B ff.: 542, 534. Hinc opposita^{2a} rem illustrant §. 81, 531. *Opposita iuxta se posita magis elucescunt.*

^{2a} *opposita*] C, D: *opposita debiliora*

§. 550.

Si perceptio, quantum observatur, prorsus eadem contineatur in pluribus perceptionibus totalibus immediate se excipientibus, in prima habet lucem novitatis §. 549. Haec ipsi deest in sequenti ex parte, magis in tertia, et sic porro. Hinc, nisi aliunde illustretur, minus clara fiet in secunda perceptione totali, adhuc minus clara in tertia, semper succedens tali, quae eam magis obscurat §. 529. Ergo perceptiones, diu, quantum observari potest, eadem, obscurantur ipso tempore. §. 239.

§. 551.

Perceptiones in aequali robore non durant §. 550. Ergo si fuerunt, quae esse possunt, fortissimae, remittuntur §. 247.

§. 552.

VIGILO, dum clare sentio, dum clare sentire incipio, EVIGILO. Si consuetum in sano perceptiones singulae claritatis gradum habent, SUI COMPOS vocatur: Si quaedam ex iis apud aliquem tam vividae fiant, ut notabiliter obscurant reliquas, EXTRA SE RAPITUR¹ (sui obliviscitur, non est apud

se)² status³ sensationibus internis extra se rapti est ECSTASIS, (visio, mota mens, mentis excessus.) Hinc EPILEPSIA, (morbus comitialis, caducus, Herculeus) morbus convulsivus sensationes externas per paroxysmum notabiliter impediens non est ecstasis. §. 38.⁴

¹ RAPITUR] B: RAPITUR. / C, D: RAPITUR,

² se)] C, D: se).

³ status] B, C, D: Status

⁴ excessus.) ...§. 38.] C, D: excessus).

§. 553.

Ecstasis animae naturalis erit per naturam ipsius actuata §. 552, 470. per ipsius naturam non actuata, praeternaturalis animae erit §. 473,¹ quae si per naturam universam non actuetur, supernaturalis erit §. 474. Ecstases miraculosae sunt possibiles §. 475, 552.²

¹ §. 473,] B, C, D: §. 474,

² 552.] C, D: 552. etiam hypothetice, §. 482-500.

§. 554.

Si claritatis gradus in sensationibus vigilantis notabiliter remittitur ob vapores in cerebrum adscendentes ex potu, INEBRIATUR seu fit EBRIUS: si ex morbo fiat idem, status ille VERTIGO dicitur, vel simplex, vel tenebrosa seu scotomia, minor epilepsiae gradus §. 552, 247.¹

¹ scotomia, minor epilepsiae gradus §. 552, 247.] C, D: scotomia.

§. 555.

Si clarae sensationes externae cessant, vel motus corporis vitales, quantum observatur, iidem¹ manent, et DORMITO, (obdormio,) vel hi etiam notabiliter remittuntur, et DELIQUIUM ANIMI PATIOR.

¹ iidem] B, C, D: fere iidem

§. 556.

Status obscurarum sensationum externarum, in quo motus corporis vitales, quantum observatur, iidem¹ manent, qui sunt in statu vigiliarum, SOMNUS est; In eoque constitutus DORMIT; In quo et hi notabiliter remittuntur, est DELIQUIUM ANIMI (syncope, lypothymia, lypopsychia,² ecthlypsis:) in quo prorsus cessabunt, MORS erit. Ergo somnus, syncope, et mors sunt sibi admodum similes §. 265.

¹ iidem] B, C, D: fere iidem

² lypothymia, lypopsychia,] B, C, D: lipothymia, lipopsychia,

§. 557.¹

Conscius sum status mei, hinc status mundi praeteriti §. 369. Repraesentatio status mundi praeteriti, hinc status mei praeteriti §. 369. est PHANTASMA (imaginatio, visum, visio.) Ergo phantasmata formo, seu imaginor, idque per vim animae repraesentativam universi pro positu corporis mei §. 513.

¹ §. 557.] B, C, D: SECTIO IIII. / PHANTASIA. / §. 557.

§. 558.

Habeo facultatem imaginandi seu phantasia¹ §. 557, 216. Cumque imaginationes meae sint perceptiones rerum, quae olim praesentes fuerunt §. 557, 298. sunt sensorum, dum imaginor, absentium, §. 297.

¹ phantasia] B, C, D: PHANTASIAN

§. 559.

PRODUCITER (evolvitur) PERCEPTIO, quae fit in animo minus obscura, quae fit obscurior, INVOLVITUR quae involuta olim producitur, REPRODUCITUR (recurrit.) Iam imaginationibus producuntur sensa §. 558, hinc olim producta §. 542, post involuta §. 551. Ergo phantasia perceptiones reproducuntur, et nihil est in phantasia, quod non ante fuerit in sensu §. 558, 534.

§. 560.

Partes¹ cerebri, quarum motus coexistit tam sensationi, quam imaginationi,² IDEAE MATERIALES vocantur. Hinc ideae materiales sunt in corpore sentientis vel imaginantis animae §. 508.

¹ Partes] C, D: Motus

² quarum motus coexistit tam sensationi, quam imaginationi,] C, D: coexistentes animae repraesentationibus successivis,

§. 561.

Imaginatio et sensatio sunt singularium §. 559, 534, hinc in universali nexu constitutorum §. 257. Unde lex imaginationis: *percepta idea partiali recurrit eius totalis* §. 306, 514. Haec propositio etiam *associatio idearum* dicitur.

§. 562.

Cum repraesentem, hinc et imaginer §. 557. pro positu corporis mei §. 512, ea vero, quae externe sentio propiora sint corpori, quam quae imaginor §. 535, 557;¹ patet, cur his illa possint clariora et fortiora esse §. 529.² Immo dum sensationes imaginationibus coexistentes eas adhuc obscurant, §. 542, nihil tam clare imaginor, quam sensi, ita tamen, ut gradus claritatis in imaginatione a gradu claritatis in sensatione dependeant §. 561.

¹ 557;] B, C, D: 558;

² §. 529.] B, C, D: §. 538.

§. 563.

Quae saepius sensi, saepius reproduxi, sunt partes plurium idearum totalium, quam quae rarius §. 514. Ergo priorum¹ phantasmata in maiori nexu §. 561, cum pluribus notis adhaerentibus percipiuntur, quam posteriora §. 530, hinc hic sunt extensive clariora, seu magis vivida §. 531.³

¹ priorum] C, D: illorum

² posteriora] C, D: horum

³ §. 531.] B, C, D: §. 531. Quae rarius sensi, rarius reproduxi ob rationem oppositorum oppositam, §. 81. si sentiuntur, habent maiorem novitatis lucem, quam quae saepius, §. 549. Ergo sensa-

tiones rarius sensorum et reproductorum sunt, caeteris paribus, magis vividae, quam saepius sensorum et reproductorum, §. 531.

§. 564.

Sicut sensationes¹ imaginationes obscurant,² sic ob eandem rationem imaginatio recentioris fortior obscurat antiquioris imaginationem debiliorem §. 562. hinc aequae clare sensorum, nisi aliunde impediatur, recentius clarius imaginor.

¹ sensationes] B, C, D: sensatio

² obscurant,] B, C, D: obscurat,

§. 565.

Phantasia minima esset, quae unicum clarissime¹ sensum §. 562, saepissime reproductum §. 563, et recentissime §. 564. cum maxime debilibus et antecedentibus et sociis perceptionibus heterogeneis, §. 529. tamen obscurissime repraesentaret. Ergo quo plura, quo obscurius² sensa, quo rarius reproducta, post quo longius tempus, quo fortioribus cum perceptionibus sociis et antecedentibus, quo clarius³ reproducere potest, hoc maior est, §. 219.

¹ clarissime] C, D: fortissime

² obscurius] C, D: debelius

³ clarius] C, D: verius, clarius, certius

Phantasia ... est,] B: kursiv

§. 566.

Quo hebetior, aut acutior est sensus, a quo sensam rem imaginor, hoc obscurius, aut clarius¹ esse potest eius rei imaginatio §. 562, 540.

¹ obscurius, aut clarius] C, D: obscurior, aut clarior

§. 567.

Imaginationes a sensationibus distinguo 1) gradu claritatis §. 562. 2) status, quem sistunt, praeteriti et praesentis, quem sensationes sistunt, impossibili coexistentia §. 298. Hinc si imaginationes fortiores et debiliores sensationes sint, quantum observatur, claritate aequales, tamen restat discrimen alterum, circumstantiarum diversitas §. 323.¹

¹ §. 323.] B, C, D: §. 323. Ex quibus ubi patet ambas perceptiones non esse sensationes, illam pro sensatione habeo, in qua maximam compossibilitatem et nexum cum sensationibus sociis, imaginationibus, praesertim proxime praeviis et futurorum, praesertim instantium, perceptionibus clare percipio, §. 544. Ergo alteram non esse sensationem clare cognosco. §. 38, 67.

§. 568.

Facilitatur¹ imaginatio §. 527. 1) si imaginandum clarius sensum est §. 562, 2) saepius reproductum §. 563. 3) per intervalla debiliorum repraesentationum, ut semper habuerit lucem novitatis §. 549. 4) non ita pridem §. 564. 5) debiliores sequatur et 6) comitetur perceptiones heterogeneas §. 516, 549, hinc aut nullas, aut non admodum claras sensationes heterogeneas, §. 562, 7) sequatur autem aut

comitetur repraesentationes, quae sociae imaginandi saepius fuerunt. §. 561.

¹ Facilitatur] C, D: Facilior fit

§. 569.

Impeditur imaginatio 1) impediendo non¹ imaginendi sensationem, secundum §. 543. et 2) reproductionem praesertim 3) interruptam debilioribus, perceptionibus, quia ipsa continuatio non interrupta obscurat §. 550. 4) ipsa reproductionis mora, dum interim multa vividius cogitantur §. 564. 5) si fortiores perceptiones sequatur aut 6) comitetur heterogeneas, hinc tales sensationes, aut imaginationes aut perceptiones, vel singulas, vel simul sumtas §. 542; quaeque 7) non¹ imaginando nunquam aut rarius sociae fuerunt §. 561, 221.

¹ non] C, D: parum aut prorsus

§. 570.

Cum in omni sensatione sit aliquid obscuri §. 544, et imaginatio semper sit sensatione eiusdem minus clara §. 562. imaginationi etiam distinctae multum inerit confusionis, et omnis imaginatio est sensitiva §. 522, formanda per facultatem cognoscitivam inferiorem §. 520.¹

¹ §. 520.] B, C, D: §. 520. Scientia imaginando cogitandi et ita cogitata proponendi est AESTHETICA PHANTASIAE.

§. 571.

Phantasia si repraesentet totaliter eadem, quae sensui, imaginationes verae sunt §. 546, 38, nec VANA PHANTASMATA seu imaginationes falsae, licet non aequali totaliter claritate percipiuntur §. 538,¹ 562. Habitus vana phantasmata formandi est PHANTASIA EFFRAENIS, SUBACTA contra, habitus vere imaginandi.

¹ §. 538,] B, C, D: §. 558,

§. 572.¹

Identitates diversitatesque rerum percipio. Ergo habeo facultatem identitates diversitatesque rerum percipiendi §. 216. Prior facultas esset minima, si ad duorum tantum clarissime² perceptorum, maxime eorundem, unicam minimam identitatem, inter maxime debiles socias et antecedentes perceptiones heterogeneas, obscurissime³ repraesentandas sufficeret. Ergo quo plurium, quo minus notorum, quo magis diversorum, quo plures, quo maiores identitates, hinc congruentias, aequalitates,⁴ similitudines, quo fortiores inter socias et antecedentes perceptiones heterogeneas, quo clarius percipit, hoc maior est §. 219. Habitus identitates rerum observandi est INGENIUM STRICTIUS DICTUM.

¹ §. 572.] B, C, D: SECTIO V. / PERSPICACIA. / §. 572.

² clarissime] C, D: fortissime

³ obscurissime] C, D: debilissime

⁴ aequalitates,] B, C, D: aequalitates, ergo et aequalitates rationum s. PROPORTIONES, Prior ... est] B: kursiv

§. 573.

Facultas diversitates rerum percipiendi minima esset, quae duorum tantum, clarissime¹ perceptorum, maxime diversorum, unicam minimam diversitatem, inter maxime debiles antecedentes et socias perceptiones heterogeneas, obscurissime² perciperet. Ergo quo plurium, quo minus notorum, quo magis eorundem, quo plures, quo maiores diversitates, hinc discongruentias, inaequalitates,³ dissimilitudines, quo fortiores inter antecedentes et socias heterogeneas perceptiones, quo clarius⁴ repraesentat, hoc maior est §. 219. Habitus diversitates rerum observandi ACUMEN est.⁵

¹ clarissime] C, D: fortissime

² obscurissime] C, D: remississime

³ inaequalitates,] B, C, D: inaequalitates, ergo et inaequalitates rationum s. DISPROPORTIONES,

⁴ clarius] C, D: fortius

⁵ est.] B, C, D: est. Acutum ingenium est PERSPICACIA.

Faculta ... est] B: kursiv

§. 574.

Facultatis identitates rerum percipiendi, hinc ingenii §. 572, haec est lex: *Repraesentata nota τῶν A, ut nota τῶν B, repraesentantur A et B, ut eadem* §. 38. Facultatis diversitates rerum percipiendi, hinc acuminis §. 573, haec est lex: *Repraesentata nota τῶν A, ut repugnante τῶν B, A et B percipiuntur; ut diversa* §. 38.

§. 575.

Identitates diversitatesque rerum vel distincte percipio, vel sensitive §. 521. Hinc facultates identitates, diversitatesque percipiendi, adeoque ingenium et acumen¹ §. 572, 573, vel sensitiva sunt, vel intellectualia §. 402.²

¹ ingenium et acumen] B, C, D: ingenium, acumen, et perspicacia

² §. 402.] B, C, D: §. 402. AESTHETICA PERSPICACIAE est aesthetices pars de ingeniose et acute cogitando et proponendo.

§. 576.

Cum omnia in hoc mundo sint partim eadem, partim diversa §. 265, 269. repraesentationes identitatum diversitatumque in iisdem, hinc et INGENII (foetus) LUSUS, i. e. cogitationes ab ingenio dependentes, et SUBTILITATES, cogitationes ab acumine dependentes, actuantur per vim animae repraesentativam universi §. 513. Lusus INGENII falsi eius ILLUSIONES, et falsae subtilitates INANES ARGUTATIONES vocantur.

§. 577.

Facultatum animae maiores gradus cum sint habitus §. 219, et crebra repetitio actionum homogenearum, seu qua differentiam specificam similium sit EXERCITIUM: exercitio augentur animae habitus §. 162. HABITUS animae non dependentes ab exercitio, naturales tamen, CONNATI (dispositiones naturales:) dependentes ab exercitio ACQUISITI, supernaturales INFUSI, facultatum

cognoscitivarum habitus THEORETICI vocantur.

§. 578.

Acumen et ingenium strictius sumtum¹ §. 572, 573. sunt habitus theoretici §. 577, 519, quo maiores sunt connati, hoc facilius augentur exercitio §. 577, 527. Idem valet de habitu sentiendi et imaginandi §. 535, 559.² Notabilior³ ingenii defectus, STUPIDUM, acuminis, OBTUSUM CAPUT est.⁴ Omnis error, cum falsum cum vero pro eodem habeat,⁵ est illusio facultatis identitates rerum percipiendi §. 576, 572. acumine impediendus §. 573, 221. Hinc errores sunt occasio subtilitatum §. 576, 323.

¹ sumtum] B, C, D: sumtum, hinc perspicacia

² 559.] B, C, D: 558.

³ Notabilior] B, C, D: In quo notabilior

⁴ est.] B, C, D: est. In quo notabilior utriusque defectus, est HOMO BLITEUS.

⁵ habeat,] B, C, D: habeat, §. 515.

§. 579.¹

Reproductam repraesentationem percipio eandem, quam olim produxeram §. 572, 559. i. e. RECOGNOSCO (recordor,)² Ergo habeo facultatem reproductas perceptiones recognoscendi seu MEMORIAM §. 216. eamque vel sensitivam, vel intellectualem §. 575.

¹ §. 579.] B, C, D: SECTIO VI. / MEMORIA / §. 579.

² (recordor,)] B, C, D: (recordor.)

§. 580.

Lex memoriae est: *Repraesentatis pluribus perceptionibus successivis, usque ad praesentem, partialem communem habentibus, partialis communis repraesentatur ut contenta in antecedente et sequente*, §. 572. adeoque memoria actuatur per vim animae repraesentativam universi, §. 559, 576.

§. 581.

Quae ita percipiuntur ut facilius olim recognosci possint, MEMORIAE MANDO. Hinc quae saepius clariusque reproducentur secundum §. §. 537, 538, 549, 568, attendendo ad identitates diversitatesque singularum perceptionum §. 580, alte memoriae mandantur §. 527.

§. 582.

Si perceptio recurrit, eam aut valeo clare recognoscere, tunc obiectum eius MEMORIA TENERE dicor, aut non possum §. 10, et obiecti illius OBLITUS SUM. Hinc impotentia reproductam perceptionem recognoscendi est OBLIVIO. Per quod meminere, cuius oblitus eram, id mihi ALIQUID IN MEMORIAM REVOCAT. Per ideas socias mihi aliquid in memoriam revoco i. e. REMINISCOR. Ergo habeo facultatem reminiscendi seu REMINISCENTIAM §. 216.

§. 583.

Reminiscentia est memoria §. 582, 579, hanc regulam sequens: *reproductae mediantibus ideis sociis perceptionis meminere* §. 580, 432.¹ Reminiscentia per ideas loci socias recordata est MEMORIA

LOCALIS.²

¹ 432.] B, C, D: 516.

² LOCALIS.] C, D: LOCALIS, per ideas aetatis socias, est SYNCHRONISMUS.

§. 584.

Memoria minima esset, quae unicum minimum clarissime,¹ saepissime, recentissime reproductum, maxime debiles inter perceptiones antecedentes et socias heterogeneas obscurissime² recognosceret. Quo ergo plura, quo maiora, quo obscurius,³ quo rarius reproducta, post quo longius tempus heterogeneis fortissimis perceptionibus transactum §. 564, quo fortiores inter antecedentes et socias perceptiones heterogeneas, quo clarius⁴ recognoscit, hoc maior est §. 219.

¹ clarissime,] C, D: intentissime,

² obscurissime] C, D: remississime

³ obscurius,] C, D: remissius

⁴ clarius] C, D: intentius

Memoria ... est] B: kursiv

§. 585.

Memoria maior BONA et FELIX dicitur, et quatenus plura et magna recognoscere potest, VASTA,¹ quatenus obscurius² etiam reproductum inter sat fortes repraesentationes socias et antecedentes heterogeneas, FIRMA: quatenus recognoscere potest, post longius temporis intervallum satis fortibus perceptionibus heterogeneis occupatum, TENAX, quatenus rarius reproductum, CAPAX, quatenus admodum clare quid³ recognoscere valet, VEGETA, quatenus parum opus est, ut reminiscatur, PROMTA dicitur.

¹ VASTA,] C, D: DIFFUSA (dives, vasta)

² obscurius] C, D: remissius

³ admodum clare quid] C, D: intentius quaedam

§. 586.

Insignis bonae memoriae defectus est OBLIVOSITAS. Error ex memoria dependens LAPSUS MEMORIAE dicitur. Iam memoria potest perceptionem antecedentem in eo gradu eandem sicut cum sequente, in quo tamen non est eadem. Ergo memoria est LABILIS, i. e. cui lapsus sunt possibiles. Memoria non admodum labilis est FIDA. Ingeniositas non est admodum fida memoria §. 576, sed acumine augetur eius fidelitas §. 573.

§. 587.

Complexus regularum perficiendae memoriae est ARS MNEMONICA,¹ pars aestheticae §. 533, regulas extendendae, capacioris fideliorisque reddendae memoriae praescribens §. 586, 585.

¹ MNEMONICA] B, C, D: MNEMONICA. Mnemonica memoriae sensitivae §. 579 est

§. 588.

Si phantasma antecedens cum sequente sensatione vel imaginatione, in eo gradu pro eodem habetur,

in quo non est idem, oriatur vanum phantasma §. 571. per lapsum memoriae §. 586, ex fonte errorum §. 578. quod si per eandem genesin §. 586, 578. pro sensatione habeatur §. 548, oriatur fallacia sensuum §. 546, 545.

§. 589.¹

Combinando phantasmata et PRAESCINDENDO i. e. attendendo ad partem alicuius perceptionis tantum, FINGO. Ergo habeo facultatem fingendi §. 216.² Combinatio cum sit repraesentatio plurium, ut unius, hinc facultate identitates rerum percipiendi actuatur §. 572, 155. facultas fingendi per vim animae repraesentativam universi actuatur 558, 576.

¹ §. 589.] B, C, D: SECTIO VII. / FACULTAS FINGENDI. / §. 589.

² §. 216.] B, C, D: §. 216. POETICAM.

§. 590.

Facultatis fingendi haec est regula: *Phantasmatum partes percipiuntur, ut unum totum* §. 589. Perceptions hinc ortae FICTIONES (figmenta), eaeque falsae CHIMAERAE dicuntur, vana phantasmata §. 511.¹

¹ §. 511.] B, C, D: §. 571.

§. 591.

Pone combinari insociabilia, §. 589, aut praescindi fingendo, quibus sublatis tollitur imaginandum, ut essentialia, essentiam §. 63. attributa §. 64, aut tolli a fingendo omnes modos, omnes relationes, aut aliquos modos, aliquas relationes ad actuale et individuum constituendum necessariis aliis non substitutis, repraesentari tamen fingendum, ut individuum et actuale §. 55, 148, orientur in his casibus singulis chimaerae §. 590, per illusionem facultatis identitates rerum percipiendi §. 576, 578. adeoque vana phantasmata §. 890. lapsu memoriae per apparentem recognitionem admodum corroboranda §. 588, 515.

§. 592.

Facultas fingendi minima esset, quae duo minima tantum clarissima¹ phantasmata obscurissime² combineret, aut unicam unius maximi phantasmatis partem minimam levissime praescinderet §. 530, 589. Ergo quo plura, quo maiora, quo minus clara³ combinabit, quo plures, quo maiores, quo plurium, quo minorum phantasmatum partes, quo magis praescindit, quo magis utrumque facit, quoque clarius,⁴ hoc maior est §. 219. 590. Maior facultas fingendi FERTILIS (foecunda,) ad chimaeras proclivis, EXORBITANS (extravagans, rhapsodica) ab iis cavens ARCHITECTONICA dici potest.⁵

¹ clarissima] C, D: fortissima

² obscurissime] C, D: remississime

³ clara] C, D: fortia

⁴ clarius] C, D: fortius

⁵ potest.] B, C, D: potest. AESTHETICA MYTHICA est aesthetices pars de fictionibus excogitandis et proponendis.

Facultas ... est] B: kursiv

§. 593.

Dormiens si clare imaginor, SOMNIO. Imaginationes dormientis¹ sunt SOMNIA SUBIECTIVE SUMTA,² vel vera §. 571, vel fallacia §. 588, 591, vel per naturam animae actuata secundum §. 561, 572,³ 580, 583, 590, naturalia §. 470, vel non naturalia animae, quae sunt ipsi praeternaturalia. Haec si per naturam universam non actuantur, erunt supernaturalia §. 474.

¹ dormientis] C, D: somniantis

² SUMTA,] B, C, D: SUMTA, cf. §. 91.

³ 572,] B, C, D: 574,

§. 594.

Dormientis phantasia magis effraenis, §. 571, et facultas fingendi exorbitantior, quam vigilantis §. 592. Non obscuratas fortioribus sensationibus vividiores imaginationes et fictiones producent §. 549. Quorum somnia comitari solent¹ motus corporis externi sensationum similium in vigilantibus comites, sunt NOCTAMBULI. Qui vero vigilantes quasdam imaginationes pro sensationibus habere solent, PHANTASTAE (visionarii, fanatici) qui eas prorsus cum sensationibus confundunt, sunt DELIRI, ut adeo DELIRIUM sit status vigilantis imaginationes pro sensationibus, sensationes pro imaginationibus² habentis.

¹ solent] B, C, D: solent observabiliores

² imaginationibus] B, C, D: imaginationibus habitualiter

SECTIO V.¹

PRAEVISIO.

¹ SECTIO V.] B, C, D: SECTIO VIII.

§. 595.

Conscius sum status mei, hinc status mundi futuri §. 369. Repraesentatio status mundi, hinc status mei futuri est PRAEVISIO. Praevideo, hinc habeo facultatem praevidendi §. 216, actuandam per vim animae repraesentativam universi pro positu corporis mei. §. 513.

§. 596.

Lex praevisionis est: *Percepta sensatione et imaginatione communem partialem perceptionem habentibus, prodit perceptio totalis futuri status, in quo partes sensationis imaginationisque diversae coniungentur* : i. e. *Ex praesenti impraegnato per praeteritum nascitur futurum.*

§. 597.

Cum repraesentem, hinc et praevideam §. 595, pro positu corporis mei §. 512, ea vero, quae externe sentio, propiora sint corpori, quam quae praevideo, olim demum sensurus §. 535. 595, patet, cur his illa possint clariora et fortiora esse §. 529. Quia hinc sensationes praevisionibus coexistentes eas adhuc obscurant, §. 542, nihil tam clare praevideo, quam sensurus sum, sed ita tamen, ut gradus claritatis in praevisione a gradu claritatis in futura sensatione dependeat §. 596.

§. 598.

Quae saepius sensi, saepius imaginatus sum, clarius praevideo, quam quae rarius §. 563, 596. Imaginationes iam sensa, id est fortissime percepta sistunt §. 542, 558. Hinc fortiores etiam hae praevisionibus nondum fortissime percepta sistentibus §. 597, eas una cum sensationibus gnauiter obscurant, §. 529. Cumque praevisio propius instantis possit esse clarior praevisione remotius instantis §. 597, obscurabit in eo casu etiam praevisio propioris praevisionem remotioris, remotiorisque obscuritas propioris illustrabit praevisionem. §. 549. Ergo aequae clare sentiendorum propius instans clarius praevideo, quam remotius §. 549.

§. 599.

Facultas praevidendi minima esset, quae unicum clarissime¹ proximeque sentiendum. §. 597, 598. saepissime sensum et imaginando reproductum, maxime debiles inter perceptiones socias et praeuias heterogeneas, tamen obscurissime² repraesentaret §. 595. Ergo quo obscurius³ sentienda, quo magis remota, quo rarius sensa, aut imaginando reproducta, quo fortiores inter perceptiones praeuias et socias, quo clarius⁴ repraesentat, hoc maior est praevidendi facultas §. 219.

¹ clarissime] C, D: fortissime

² obscurissime] C, D: remississime

³ obscurius] C, D: remissius

⁴ clarius] C, D: fortius

Facultas ... facultas] B: kursiv

§. 600.

Quo hebetior aut acutior sensus, a quo ex parte iam sensum praevideo, quo minor aut maior praeuisuri phantasia §. 565, hoc obscurior aut clarior erit praevisio §. 596.

§. 601.

Praeuisiones a sensationibus imaginationibusque distinguo 1) gradu claritatis, quo et sensationibus et imaginationibus cedunt §. 597, 598. 2) impossibili coexistentia cum statibus praeteritis et praesente. Quod si praevisio fortior et imaginatio aut etiam sensatio debilior sint claritatis, quantum observatur, aequalis, tamen caractere secundo distingui possunt §. 67.¹

¹ §. 67.] B, C, D: §. 67. Ex circumstantiis enim si cognosco, quae non sint sensationes secundum §. 567, eam nec imaginationem esse clare cognosco §. 38, 67. quae cum imaginationibus sociis, praeuiis et sequentibus, etiam sensationibus inconnexa deprehenditur, §. 557, 357. quaeque simul sentiri non potuerit, §. 377.

§. 602.

Facilitatur praevisio, §. 527. si praeuidendum 1) clarius sentiendum est §. 97.¹ 2) magna ex parte iam sensum 3) et reproductum est imaginando §. 598. 4) praeuisum iam saepius §. 561. idque 5) per intervalla debiliorum perceptionum, ut semper habuerit lucem novitatis §. 549. 6) non ita multo post sentiendum §. 598. 7) debiliores praeuias et socias perceptiones habeat heterogeneas, hinc tales aut nullas, aut non admodum claras sensationes et imaginationes §. 597,² 598. 8) at fortiores sequatur et

comitetur tam imaginationes, quam sensationes, quae cum praeviendo partiales perceptiones communes habent, §. 596, 597.

¹ §. 97.] B, C, D: §. 597.

² §. 597,] D: §. 697.

§. 603.

Impeditur praevisionis, si 1) impediatur praevidendi futura sensatio secundum §. 543, 2) sensatio magna ex parte cum praeviendo eorundem praesens 3) eorundem imaginatio secundum §. 569, 4) praevisiones impediuntur primae, praesertim 5) interruptae debilioribus perceptionibus, quia eas ipsa continuatio obscurat §. 550. 6) procrastinetur praevidendum, §. 597.¹ 7) fortiores praevisas et socias habeat heterogeneas imaginationes sensationesque, 8) at tales debiliores, quae cum praeviendo perceptionem communem habent §. 602, 221.

§. 597.] B, C, D: §. 598.

§. 604.

Cum in omni sensatione §. 544. et imaginatione sit aliquid obscuri §. 570. et praevisionis sit minus clara, quam eiusdem sensatio et imaginatio §. 597, 598. praevisioni etiam distinctae multum admixtum est confusionis et obscuritatis, et omnis mea praevisionis est sensitiva §. 522. actuanda per facultatem cognoscitivam inferiorem §. 520.¹

¹ §. 520.] B, C, D: §. 520. cuius cognitionem et propositionem dirigens mantica §. 350, est pars Aesthetices, §. 533.

§. 605.

Si praevideantur totaliter eadem cum sentiendis, praevisiones sunt veraces, seu PRAESENSIONES, licet non eodem modo, aequali cum sensationibus claritate percipiuntur §. 597. Si sentiatur praesensum, IMPLETUR PRAEVISIO. Praevisionis non implenda, FALLAX est, fons errorum practi-
corum §. 578.

§. 606.¹

Perfectionem imperfectionemque rerum percipio i. e. DIIUDICO. Ergo habeo facultatem diiudicandi §. 216. Haec minima esset unci minimi clarissime² percepti unicam minimam perfectionem imperfectionemve, maxime debiles inter perceptiones heterogeneas praevisas et socias obscurissime³ repraesentans. Quo ergo plurium, quo maiorum, quo obscurius⁴ etiam perceptorum, quo plures, quo maiores perfectiones imperfectionesve, quo fortiores inter socias et praevisas heterogeneas perceptiones, quo clarius facultas diiudicandi repraesentat, hoc maior est, §. 219. Habitus res diiudicandi est IUDICIUM, idque de praevisionis, PRACTICUM, de aliis, THEORETICUM vocatur, et quatenus obscurius etiam perceptorum plures tamen perfectiones imperfectionesve detegit, est PENETRANS.

¹ §. 606.] B, C, D: SECTIO IX. / IUDICIUM. / §. 606.

² clarissime] C, D: fortissime

³ obscurissime] C, D: remississime

⁴ obscurius] C, D: remissius

Haec ... est.] B: kursiv

§. 607.

Lex facultatis diiudicandi est: *perceptis rei variis aut consentientibus, aut dissentientibus, eius aut perfectio aut imperfectio percipitur.* §. 94, 121. Quod cum fiat vel distincte, vel indistincte; facultas diiudicandi, hinc et iudicium §. 606. erunt vel sensitiva, vel intellectualia §. 402, 522.¹ Iudicium sensitivum est GUSTUS SIGNIFICATU LATIORI.² Iudicio intellectuali gaudens est CRITICUS SIGNIFICATU LATIORI, unde CRITICA SIGNIFICATU GENERALI est scientia regularum de perfectione vel imperfectione distincte iudicandi.

¹ 522.] B, C, D: 521.

² LATIORI.] B, C, D: LATIORI (sapor, palatum, nasus). CRITICA LATISSIME DICTA est ars diiudicandi. Hinc ars formandi gustum, s. de sensitive diiudicando et iudicium suum proponendo est AESTHETICA CRITICA §. 533.

§. 608.

Gustus significatu latiori de SENSUALIBUS, i. e. quae sentiuntur, est IUDICIUM SENSUUM, et illi organo sensorio tribuitur, per quod diiudicandum sentitur. Hinc datur iudicium oculorum, aurium e. c. Tam hoc, quam omnis facultas diiudicandi actuatur per vim animae repraesentat vā universi §. 513, cum omnia in hoc mundo sint partim perfecta, partim imperfecta §. 250, 354. Diiudicationes falsae sunt IUDICII ECLIPSES. Facultas diiudicandi ad eclipses prona, PRAECEPT¹ dicitur. Habitus ab eclipsibus IUDICII cavendi est eius MATURITAS.² Eclipses iudicii sensuum sunt eorundem fallaciae 545.³

¹ PRAECEPT.] B, C, D: IUDICIUM PRAECEPT

² MATURITAS.] B, C, D: MATURITAS. Talis gustus est SAPOR NON PUBLICUS (purior, eruditus) minoribus etiam congruentiis incongruentisque detegendis in diiudicando perspicax, DELICATUS.

³ fallaciae 545.] B, C, D: fallaciae, § 545.

§. 609.

Quo maior memoria §. 579. reminiscencia §. 58§,¹ facultas fingendi §. 589, praevisionis habitus §. 595. et iudicium sunt connata, hoc facilius augentur exercitiis §. 578,² 606.

¹ 58§.] B, C, D: 582,

² §. 578,] B, C, D: §. 577.

§. 610.¹

Qui praevisam perceptionem repraesentat, ut eandem, quam olim percipiet, PRAESAGIT, ergo habet facultatem praesagiendi, seu SIGNIFICATU LATIORI PRAESAGITIONEM. Perceptiones per praesagationem eiusmodi actuae sunt PRAESAGIA; vel sensitiva vel intellectualia §. 402, 522.²

¹ §. 610.] B, C, D: SECTIO X. / PRAESAGITIO. / §. 610.

² 522.] B, C, D: 521. PRAESAGIA STRICTIUS DICTA et PRAESAGITIO sunt sensitiva tantum. Sensitiva praesagia sunt obiectum mantices aestheticae, §. 604.

§. 611.

Lex praesagitionis haec est: *Si in praesentis perceptionis successivis perceptionibus repraesentantur quaedam partialem communem cum antecedentibus habentes, haec partialis communis repraesentatur, ut contenta in antecedente et sequente.* §. 572. Ergo ut se habet memoria ad imaginationem: sic se habet praesagatio ad praevisionem, §. 579, 610.

§. 612.

Praesagatio sensitiva est EXSPECTATIO CASUUM SIMILIIUM, cuius haec est regula: *Aut sentio, aut imaginor, aut praevideo A, quod cum alio praeviso B multa habet communia, hinc B repraesento, ut idem futurum cum A* §. 611. Cui ideas praevisi socias praesagit animus, quae ante non praesagiebat, PRAESUMIT, hinc facultatem habet praesumendi §. 216, quae se habebit ad praesagitionemut reminiscentia ad memoriam §. 582, 610.

§. 613.

Praesumendi facultas est praesagatio hanc regulam sequens: *Praevisam mediantibus ideis sociis perceptionem praesagit animus.*

§. 614.

Praesagatio minima esset, quae unicum, minimum clarissime¹ saepissime praevisum proxime instans maxime debiles inter perceptiones praevias et socias heterogeneas obscurissime² tamen perciperet.³

¹ clarissime] C, D: fortissime

² obscurissime] C, D: remississime

³ perciperet.] B, C, D: perciperet. §. 610, 161.

Praesagatio minima ... tamen perciperet.] B: kursiv

§. 615.

Quo ergo¹ plura, quo maiora, quo rarius, quo obscurius² praevidenda, quo longius ante tempus fortissimis perceptionibus aliis transigendum §. 564. quo fortiores inter praevias et socias heterogeneas, quo clarius³ percipit praesagatio, hoc maior est, §. 219, hoc minus opus habet praesumptionibus §. 614.⁴

¹ Quo ergo] B, C, D: Quo

² obscurius] C, D: remissius

³ clarius] C, D: fortius

⁴ §. 614.] B, C, D: §. 613.

Quo...praesumptionibus] B: kursiv

§. 616.

Notabilis praesagiendi habitus est FACULTAS DIVINATRIX vel naturalis aut connata, aut acquisita, vel infusa, §. 577. Postrema est DONUM PROPHETICUM. Praesagium ex facultate divinatricis est DIVINATIO; haec ex dono prophetico est VATICINIUM seu prophetia. Mantica est complexus regularum perficiendae facultatis divinatricis naturalis §. 349.¹

¹ seu prophetia. Mantica est complexus regularum perficiendae facultatis divinatricis naturalis §.

349.] B, C, D : (prophetia).

§. 617.

A praesagitione pendentes errores sunt VANA PRAESAGIA, fallaces praevisiones cum veracibus per illusionem facultatis identitates rerum percipiendi confusae §. 578, 605. Si qua mihi sunt praesagia, exspectationes casuum similium, §. 612, praesumptiones §. 613, actuantur per vim animae repraesentativam universi §. 595, 576.

§. 618.

Si praevisum cum antecedente aliquo senso, aut phantasmate, aut praeviso alio habeatur pro eodem in eo gradu, in quo non est, orietur fallax praevisio §. 605. per vanum praesagium, §. 617, 571.¹

¹ 571.] B, C, D: 576.

§. 619.¹

Signa cum signatis una percipio; ergo habeo facultatem signa cum signatis repraesentando coniungendi, quae SIGNATRIX FACULTAS² dici potest §. 216. Cumque sit in hoc mundo nexus significativus, §. 358, facultatis signatricis³ perceptiones actuantur per vim animae repraesentativam universi §. 513. Nexus significativus vel distincte, vel indistincte cognoscitur, hinc facultas signatrix⁴ vel sensitiva erit §. 521, vel intellectualis §. 402.

¹ §. 619.] B, C, D: SECTIO XI / FACULTAS CHARACTERISTICA. / §. 606.

² SIGNATRIX FACULTAS] B, C, D: FACULTAS CHARACTERISTICA

³ signatricis] B, C, D: characteristicae

⁴ signatrix] B, C, D: characteristica

§. 620.

Si signum et signatum percipiendo coniungitur, vel magis attendo ad signum, et¹ COGNITIO talis SYMBOLICA dicitur, vel magis ad signatum, et² COGNITIO erit INTUITIVA (intuitus) §. 529.³ In utraque cognitione facultatis signatricis haec est lex: *Perceptionum sociarum una fit medium cognoscendae existentiae alterius* §. 347.

¹ vel ... et] B, C, D: et maior est signi, quam signati perceptio,

² vel ... et] B, C, D: et maior signati repraesentatio, quam signi,

³ (intuitus) §. 529.] B, C, D: (intuitus).

§. 621.

Pone per illusionem facultatis identitates rerum cognoscendi haberi pro signo, quod non est, pro signato, quod non est §. 576, cognitio falsa symbolica et intuitiva orietur §. 620. Pone eodem modo haberi quid pro prognostico, quod non est, nascentur fallaces praevisiones apparentibus praesagiis praesumptionibusque multum corroborandae §. 605, 515.

§. 622.

Facultas signatrix¹ minima esset, quae unicum minimum signum cum unico minimo signato, maxime

debiles inter praevias perceptiones et socias heterogeneas obscurissime² coniungeret. Ergo quo plura, quo maiora signa cum quo pluribus, quo maioribus signatis, quo fortiores inter socias et praevias perceptiones,³ quo clarius⁴ coniungit facultas signatrix,⁵ hoc maior est §. 219. Characteristica est complexus regularum perficiendae facultatis signatricis §. 349.⁶

¹ signatrix] B, C, D: characteristica

² obscurissime] C, D: remississime

³ perceptiones,] B, C, D: perceptiones heterogeneas

⁴ clarius] C, D: fortius

⁵ Characteristica est complexus regularum perficiendae facultatis signatricis §. 349.] B, C, D: Scientia sensitivae cognitionis circa signa occupatae et propositionis eiusmodi est AESTHETICA CHARACTERISTICA, tam heuristica, quam hermeneutica, §. 349. Characteristica orationis est PHILOLOGIA (grammatica latius dicta), eaque docens pluribus linguis particularibus communia UNIVERSALIS. Philologia docens regulas I) generales in omni oratione observandas, qua vocabula eorumque 1) partes est ORTOGRAPHIA LATIUS DICTA 2) flexionem est ETYMOLOGIA (analogia) 3) nexum s. constructionem est SYNTAXIS 4) quantitatem PROSODIA. Complexus harum 4 disciplinarum est GRAMMATICA (strictius dicta) 5) significatum est LEXICA (lexicographia) 6) scriptionem est GRAPHICE II) speciales e. g. ELOQUENTIAE s. perfectionis in oratione sensitiva, eiusque 1) generatim spectatae est ORATORIA 2) speciatim, vel solutae est RHETORICA, vel ligatae est POETICA. Hae disciplinae cum suis singulae filiabus quatenus demonstrant regulas pluribus linguis particularibus communes UNIVERSALES sunt.

Facultas ...est] B: kursiv

§. 623.

Dum dormientis sensationes externae non sint clarae §. 556, somnus debiliorum etiam phantasmatum erit ad sensitive praevidendum aptior, quam status vigilantis §. 549, 597.¹ Complexus regularum ex insomniorum praevisionibus praesagiendi est ONIROCRITICA.

¹ §. 549, 597.] D: §. 598, 539.

APPENDIX

§. 658.

Minima voluptas et taedium sunt status, qui oriuntur ex obscurissimo,¹ qui potest esse, intuitu uniceae minimae perfectionis imperfectionisve, praevis et sociis heterogeneis voluptatibus taediisque plurimum fortioribus, §. 651, 161. Quo ergo clariori² ex intuitu, quo plurimum, quo maiorum perfectionum, imperfectionumve, quo debiliores inter praevias sociasque voluptates heterogeneas et taedia eiusmodi voluptates et taedia nascentur, hoc erunt maiora, §. 160, 657. Voluptatis causa DELECTAT. Voluptatem augens, IUCUNDUM (commodum), minuens, INCOMMODUM (ingratum), taedium augens, MOLESTUM, minuens GRATUM erit.

¹ obscurissimo] B, C, D: minimo i. e. minime vero, claro, certo, §. 531, 620.

² clariori] B, C, D: maiore, i. e. veriore, vel vividiore, vel distinctiore, clariore, certiore §. 531.

Minima ...maiora.] B: kursiv

§. 659.

Cum praesentium clarissimas¹ sit intuitus, voluptates et taedia ex praesentibus possunt esse maiora, quam ex praeteritis et futuris, §. 658. Quorum si tamen aliquid, ut multo maiores, multo plures perfectiones imperfectionesve continens repraesentatur, aut si animus per plura in praeteritis futurisque placencia et displicencia distrahitur, ex illis voluptas et taedium possunt fortiora fieri, quam ex praesenti §. 658, 543. Voluptas taediumve, quo excepto animus est paene indifferens, aut in totali aequilibrio, clarius sentiuntur, §. 658, 653.

¹ clarrissimas] A (Errata): clarrissimus^{1a}

^{1a} clarissimus] B, C, D: clarior, §. 542, verior, certior, §. 546, hinc maior, §. 531.

§. 662.

Perfectio phaenomenon, s. gustui latius dicto observabilis, est PULCRITUDO, imperfectio phaenomenon, seu gustui latius dicto observabilis, est DEFORMITAS. Hinc pulcrum, ut tale, intuentem delectat, §. 658, deforme, ut tale, intuenti displicet¹ §. 658.² Mutato intuitu, mutatur voluptas et taedium, §. 326, 328. Iam omnis meus intuitus est in se mutabilis, §. 257. Ergo omnis mea voluptas, omne taedium est in se mutabile. Quae tamen plerisque difficiliter mutanda, durabilia seu³ CONSTANTIA dicuntur, quae constantibus facilius mutanda sunt VOLUPTATES et TAEDIA, TRANSITORIA brevia et fluxa⁴ sunt.

¹ displicet] B, C, D: molestum est

² §. 658.] D: §.618.

³ durabilia seu] B, C, D: (durabilia)

⁴ brevia et fluxa] B, C, D: (brevia, fluxa)

§. 669.

Appetens et aversatus intendit productionem alicuius perceptionis §. 341, 663. hinc perceptiones intentionis eiusmodi rationem continentes causae impulsivae sunt appetitionis aversationisque, unde ELATERES ANIMI vocantur, §. 342. COGNITIO, quatenus elateres animi continet, VIVA¹, quatenus minus MORTUA² dicitur. Hinc cognitio symbolica, qua talis, est notabiliter iners, §. 652, sola intuitiva movens, §. 652. Hinc in statu totalis indifferentiae perceptio totalis esset mortua,³ §. 653, at in statu purae voluptatis, meri taedii, aut alterutrius praedominantis perceptio totalis est viva⁴ movens §. 656, 661.⁵

¹ VIVA] B, C, D: MOVENS (afficiens, tangens, ardens, pragmatica, practica et viva latius)

² MORTUA] B, C, D: INERS (theoretica et mortua latius), et haec caeteroquin satis perfecta §. 515, 531. SPECULATIO (speculativa, vana, cassa)

³ mortua,] B, C, D: iners

⁴ viva] B, C, D: movens

⁵ 661.] B, C, D: Cognitio, quae vim motricem habet, caeteris paribus, maior est inerti, etiam speculatione, §. 515. Ergo quo vastior, quo nobilior, quo verior, quo clarior, hinc vividior vel distinctior, quo certior, quo ardentior cognitio est, hoc maior est. §. 515, 531.